

daran zu hindern wagten, wären sie übersagte Leute. Siegler: Ruger der Teuner, Pfleger zu Dresswitz. Geben an St. Gregoritag. 44.

Mit Siegel. — Ried'sches und Schuegrafs Regest.

1391, December 6.

Alheid die Götzlin von Isgür bekennt, dass ihr Mann selig, Fridrich der Göttzel getaidingt habe mit dem erbergern Herrn Hanns Winckler zu der bömischen Brück, dass sie beide Eheleute an das Gotteshaus alda keine Ansprach mehr haben. Siegler: Niclas der Geiganter, Pfarrer zu Mosbach und Ruger der Täuner, Pfleger zu Dresswitz. Geben an St. Nicolaustag. 45.

Mit 2 Siegeln. — Ried'sches und Schuegrafsches Regest.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae

et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. II. h. ai. pg. 232—239.)

E Journalista haec excerpti: 20. Julii Mareschallus Gallicus Bellisle e Praga litteras mittit ad Comitem de Königsegg (cum Princeps Carolus, dux exercitus, et ejus frater Magnus, Dux Hetruriae, cum Gallis de pace agere noluerint), quibus ei significat, se potestatem a Rege Galliae accepisse tradendi Pragam nostris, uti et Egram urbem et arcem Frauenberg sub hac conditione, ut toti exercitui Gallico et praesidio Pragensi Gallico liceret discedere cum omni re tormentaria et impedimentis. Quibus Comes noster Königsegg respondit, ad hoc concedendum se non habere potestatem a Regina nostra, iterum se velle novum cursorem publicum ad eam mittere, ut voluntatem Reginae cognoscat, idque se illico renuntiatum Comiti Bellisle. Regina desuper, cum dictus nuntius Viennam venisset, habito cum suis consilio decrevit, aliter se non acceptaturam Praegae redditionem, nisi sub hac conditione, quam jam ante Gallis declararat, ut omnes Galli fiant captivi belli. Comes Königsegg acceptam hanc Reginae resolutionem Gallis indicavit, qui responderunt Comiti: Dass man die Französischen Truppen nicht kennete, wenn man glaubte, dass sie capabel sich solchen iniuriösen Bedingnissen, als man ihnen vorgestellt, zu vnterwerfen, Sie wollten viel lieber zu Grunde gehen, als sich an einer dergleichen Schwachheit schuldig zu machen. Es wäre nicht mehr die Frage von einer Unterredung noch von Capitulation, sondern der Erfolg würde die Sache ausmachen. Haec ibi, quae quidem aliis rumoribus satis concordant.

E novis Viennensibus: Galli in Bavaria 20. Augusti mane, cum essent spissae nebulae, priora sua castra inter Winzer et Monasterium

Niederaltahense deserunt pergentes usque in Deckendorf, nostris eos insequen-
tibus, et castra sua apud Osterhofen et Niederaltach ponentibus. Norim-
berga scriptum: Comes de Cobenzel, legatus nostrae Reginae apud varios
Imperii Circulos, 6. Augusti Norimbergae advenit, et copiae Franconicae
apud hanc urbem se congregant, quo consilio adhuc incertum. Noster
exercitus prope Pragam hostem intra urbem intrare compellit, qui ad
1000 equos in der Ferschen laesos in castris nobis dimisere.

E novis Gallicis: Rex Sardiniae cum exercitu suo 20.000 militum
29. Julii muros Bononienses pertransiit, Hispanos persecuturus, et 20
tormentis, cui obviam eunt Cardinalis Alberoni, legatus Pontificius Bono-
niensis cum octo Senatoribus deputatis, magnoque comitatu eum honorifice
excipientes. Postridie noster Comes de Traun cum 10.000 militibus,
6 tormentis et 2 Mörser, qui cum Rege veniunt Imola, Forli et Cesena,
tendentes usque ad civitatem Rimini, ubi Hispani dicuntur hostes suos expec-
tare, parati cum illis pugnare. Anconae duae naves bellicae Anglicanae advenere,
quas sequentur aliae sex ad transvehendos ex Triest 10.000 Austriacos in
Italiam. Rumor est, Regem Sardiniae velle occupare insulam Siciliae, quam ei
promiserat nostra Regina aquirendam. Dux vero Castropignano, copiarum
Neapolitanarum dux, redire cogitat Neapolim, ad id regnum contra hostes
defendendum. In Julio corpus Clementis XII. annitente Cardinali Corsini, ejus
nepote, e Vaticano deportatum fuit in Ecclesiam Lateranensem, ita ordinante
hoc Papa in suo testamento. 24. Julii, 3 naves Anglicanae bellicae ante
portum urbis Neapolitanae sitae impediunt, ne ex eo naves Neapolitanae
possint exire. Angli quoque sub Admirale Matthews apud insulam Eres
naves Hispanicas et Gallicas infestant. Pons super fluviolum Wienn apud
Schönbrun exstruitur, constans 12.000 fl. ob comoditatem Reginae amantis
et inhabitantis hunc locum, et ex eo perpetuo Viennam partim curru,
partim equo pergens. Galli magis magisque muniunt Egram urbem in
Bohemia, sperantes succursum Gallicum, quo se firmarent in dicto regno.
In Flandria apud Ostende 4tus transport copiarum Anglicanarum cum
Duce Marlborough, Comite Albemarl, Generalibus Campbel et Howard,
aliisque pluribus advenit. Bruxellis 6. Julii scriptum, Secretarium status
D. de Amelos Galliae Regis residenti nostri Magni Ducis apud Parisios
comiti de Stainville ex parte Regis Galliae intimasse, quod Rex, postquam
Regina nostra ad propositos pacis ineundae articulos non sufficientem dedit
responsonem, credat se alia consilia debere inire, et exercitum suum,
quem habuit apud inferiorem Rhenum, et iam destinatum ad reditum in
Franciam iusserit ire in Bohemiam. Id quod Dux Arembergius noster
Comiti de Harrach, Gubernatori Belgii, et hic Principi Carolo in Bohemiam
illico nuntiavit, et quid Comes de Harrach cum consiliariis suis decreverit,
eidem Principi Carolo significavit. Porro conditiones pacis a Rege Galliae
nostrae Reginae factae hae dicuntur. Ut illico cedat Bavariam Carolo VII.,
Archivum ipsius, item Tyrolim et Austriam anteriorem eidem Duci Bavariae,
et ut idem pro Imperatore Romanorum agnoscat, cetera omnia Reginae
mansura. Verum haec a nostra Regina reiecta merito fuere. Düsseldorfio

et Francofurto scriptum, Comitem de Maillebois, exercitus Gallici ducem, qui in auctumno prioris anni 1741 et hoc 1742 in Westphalia fuit, in 4 colonis jussu Regis Galliae in Bohemiam iturum ad Gallos in Praga existentes adiuvandos.

E novis Gallicis: Francofurto scriptum, Carolum VII. edidisse decretum Caesareum die 11. Augusti, in quo ait: Ad parcendum effusioni sanguinis Germanici, et amore pacis ac tranquillitatis in Imperio Romano, se esse resolutum facere tractatum pacis cum Domo Austriaca, et consentire in armistitium, atque ita possint copiae auxiliares Gallicae e Bohemia et Bavaria exire, et ex toto Romano Imperio, quodque velit in his circumstantiis cedere Regnum Bohemiae Domui Austriacae, hac tamen conditione, ut absque mora Austriaci milites evacuent Bavariam, et ut Austriaca Domus quibusdam praeliminaribus articulis consentiat, et postquam cesserint omnes hostilitates, ipse Carolus VII. possit gaudere plene suis terris et tunc demum velit tractare de plena pace cum Austriacis, sub mediatione Imperii et aliarum potentiarum, quas ipse ad hunc tractatum pacis invitabit. Verum cum Legatus Magni Ducis in Gallia omnes propositiones pacis sibi factas a Rege Galliae cum dedignatione semper rejecerit, et velit Domus Austriaca continuare suam animositatem contra ipsum, hinc Rex Galliae foederatus Caroli VII. coactus fuit, magnum novum suum exercitum in Bohemiam mittere, et ad solvendas suas copias, in Praga existentes, a totali ruina, et ad certum jus Caroli VII. defendendum, et ad se opponendum hostilitatibus in terris suis patrimonialibus, et quod cum auxilio Dei et suis subditis speret Carolus VII. se posse adhuc assequi iurium suorum effectum optatum. Quare innuit Imperio Romano, solam obstinationem Reginae occasionem et causam fuisse, cur novus exercitus Gallicus in Imperium venerit; se tamen daturum operam, ut hae copiae Gallicae omnia solvant pro pabulo aliisque necessariis, et bonam disciplinam observent. Itaque se proponere Statibus Imperii hanc suam declarationem et optare, ut ipsum iuvent ad ea consequenda, quae iuris sui sunt.

Massiliae in Gallia Galli metuunt invasionem Anglorum et propterea probe muniunt portum suum. Philippus, Infans Hispaniae, qui se huc usque in Antiber et aliis locis Galliae tenuit, perexit ad Aquas Sextias. Plures cursores publici Austriaci Dresdenam cum litteris veniunt, id, quod Dresdena scriptum in novis Gallicis. Comes de Stairs, Angliae legatus, apud Hollandos duo Memorialia ipsis offert, uti et iisdem Galliae et Hispaniarum Legati, non tamen potuit Hollandos in hunc usque diem persuadere ad indicendum Gallis bellum.

28. Augusti. Ad Monasterium relata fuere nostra tormenta bellica, quae anno priore paulo ante irruptionem Bavarico Gallicam Viennam mittere debimus. E novis Viennensibus: E castris Pragensibus: Die 22. Augusti Galli numero 7000 cum quibusdam civibus et Judaeis Pragensibus duas irruptiones e Praga in nostros faciunt, et aliquod Mörser clavis obstruunt, verum omnes a nostris repulsi sunt ita tamen, quod e

nostris durante tribus horis certamine 400 partim occisi, partim vulnerati et captivati fuerint, ex parte hostium autem desiderati sunt 2000 caesi, vulnerati, et capti: In novis Gallicis Praga scriptum: Galli scribunt, se erupisse e Praga contra nos cum 6000 suorum, et nostrum aggerem vulgo Batterie aggressos, ac 12 Mörser clavis obstruxisse, ablatis insuper 3 tormentis bellicis et uno vexillo. Austriacos nostros 400 perdidisse, non numeratis vulneratis, et ex relatione unius desertoris nostri 22 Officiales occisos, et unum Colonellum e nostris se cepisse, item abundantiam victualium et rei bellicae ad quatuor menses ipsis esse; solum quod in pabulo defectum modicum sentiant. Haec illi, nullum addentes verbum de iactura suorum. Ecce! studia populorum inter se bellantium. E novis Viennensibus: Exercitus Neapolitanus fugit in Regnum Neapolitanum, et Hispanicus se recipit in Statum praesidii. Rex vero Sardiniae cum exercitu suo rediit ex Rimini aliisque locis, ad quae secutus est cum Austriacis nostris hostem, in Mutinensem Ducatum, et Pedemontum. Causam vide infra. Interim Anglicanae naves mare Adriaticum, Siculum et Neapolitanum, ac apud Villafranca et Niza infesta habent; Hispanorum post abitum a Rimini plurimi deseruere. Mareschallus de Maillebois cum toto suo exercitu Francofurtum, Hanau, aliaque loca Franconiae absque impedimento transit, et visitatur a Carolo VII. Generalis de Törring avocatur a Carolo VII. a militibus Bavaricis eique succedit Comes de Seckendorf, qui pridem a nostris dimissus fuerat.

Circa Ambergam, urbem praecipuam Palatinatus superioris, milites nostri Hungarici cum Germanis equitibus cataphractis multis palantur, et per eundem tractum multa milia eorundem. Die 26. 27. 28. 29. 30. 31. Augusti et 1. Septembris nostri Austriaci Pragam injectis bombardis et tormentorum globis vehementissime impugnant, et repugnant fortiter Galli, 60 interim Gallis ad nos deficientibus. Praedicti Hussari nostri cum cataphractis militibus conati sunt (uti e litteris ex civitate Schwabacensi 31. Augusti scriptis constat) castra Gallorum apud Furt prope Norimbergam posita tollere. Quo audito rumore Galli convasant omnia sua festinantissime et in nocte castra sua cum pabulo seu Fourage incendere, et versus Fornbach fugiunt, insequentibus nostris Hussaris; illi Galli in silvam se recipiunt, indeque rursus fugiunt, quibus fugientibus Hussari nostri 200 boves cum magna copia vini Gallici, argenti aliisque rebus in praedas accipiunt, et postea in Erlastegen abeunt, multa cum hilaritate vinum raptum absumentes. 25 Hussari Norimbergam, quae distat ab Erlastegen una hora, ingrediuntur visitantes hospitia, et inquirentes undique Gallos ibi latitantes, et repertos captivos abducunt. Ceteri Galli in cellaria sub lectis aliisque locis tutis se abscondunt. Hussari equos, foenum et avenam capta Norimbergensibus vendunt, et postea omnia impedimenta gallica cingunt. Haec omnia in novis Gallicis confirmata fuere cum hoc addito, quod Hussari nihil solvere voluerint hominibus, dicentes, Reginam nostram suo tempore omnia soluturam.

E novis Viennensibus: Russi fugientibus Succis urbem Burgo in

Finlandia occupant, rei annonariae magna parte a Suecis destructa, fugientibus iterum in locum Helsingfors. 6. Septembris Galli in Bavaria castra habentes apud Deckendorf summo mane favore nebulae eadem deserunt, et transmissis ac post se incenso ponte, ad hanc Danubii ripam transeunt et versus Straubing se vertunt, quo exercitus ex Bavaris, Hassis, et Palatinis sub Comite de Seckendorf pergunt, jungentes se Gallis. Tzaikistae postremas hostis turmas, uti apud nos priori anno Mellicii fecere, suis tormentis infestant; interim Dux Khevenhiller ex altera ripa cum suis substitit, non potens, etsi vellet ob devastatum pontem ab hostibus eos insequi. D. Menzlius tamen ex Landau in Bavariam pro-siliens cum suis Hussaris ultima agmina exercitus Seckendorfiani invadit apud Pilzling, et Hessos ac Palatinos cum suis aggreditur, cepit vero unum Obristlieutenant ex Palatinis nomine Marchionem de Spinola, 1 Praefectum vigilum, 36 gregarios, et 13 desertores nostros Austriacos, inter quos unus Hussarus, cum uno Standart ab hostibus capto et Viennam per Mellicium misso. Ex nostra parte occisi 1 signifer, 1 Praefectus vigilum cum 8 gregariis et 9 equis, vulnerati 2 gregarii, 8 equi; 1 Rittmeister Hussarorum cum 7 Hussaris deperditus est. In Bohemia ad nostrum exercitum ingens numerus rei tormentariae Vienna advenit, nostris continuantibus urbis oppugnationem, ex hostibus ad nos pluribus, et semel 50 deficientibus. A prima die formatae obsidionis Pragensis ad diem 7. Septembris iniecta a nobis in urbem fuere 8361 Bomben, tormentorum bellicorum globi 25.504. E novis Gallicis: Russi in Finlandia grandem terrorem per totam illam regionem fundunt, Suecis usque ad Helsingfors fugientibus, et Cossaqis et Calmuquis Russicis usque ad urbem Abo excurrentibus. Ipsa nova Stockolmia scripta vocant statum Sueciae miserabilem ob hoc bellum ab ipsis contra Russos motum. Russi recusarunt pro mediatore pacis inter illos et Suecos Regem Galliae, pariter Sueci recusant pro eodem Regem Angliae, et utraque pars inter se pacem inire decrevit.

14. Septembris 1742 felici navigio Vienna res et vasa nostra argentea nobis allata et reddita fuere, priori anno securitatis causa eo transmissa, atque haec inter etiam crux aurea, ipsa vero portio adorandae crucis hic loci constanter fuit adservata in archivo nostro.

Comes Andrasi missus fuit a nostro exercitu stante ante Pragam cum 1300 hominibus ad occupandas vias, per quas Mareschallus Maillebois, dux exercitus Gallici, ire disposuit in Bohemiam ad solvendam obsidionem Pragensem. Viennae quidam Gallus Deserteur spargit cantilenam contra Reginam nostram, et propterea capitur. Rex Angliae mittit 29 equos elegantes Reginae nostrae pro munere. Galli in Pirna, civitate Saxoniae, 20.000 modios frumenti comparant pro suo exercitu. Montani Saxones armantur contra nostros casu quo impetantur. Fertur Regina nostra Regi Poloniae intimasse, se nullam partem Bohemiae ipsi cessuram, et monuisse, ut Sanctionem Pragmaticam observet, et si Rex habet praetensionem in Domum Austriacum ob milites vel argentum olim ei praestitum, ut demonstret illa debita a Regina solvenda. Additum fuit, Regem de

ista propositione nihil audire voluisse. Rex Porruissiae iter facit Wesaliam et inde Aquisgranum, Turcae sollicitantur ad succurrendum Succis, sed frustra, Turcis illis nullam opem ferrentibus, quoniam ipsi Sueci inceperunt bellum primi, incitantibus, ut apparet, Gallis, se in omnia Europae negotia immiscentibus. In Ostendam quinta pars Anglicanorum militum advenit, Gallis interim dicentibus, se non posituros arma, donec Carolus VII. rationabilem satisfactionem habeat suarum praetensionum in Domum Austriacam. Circa dies 17. 18. et sequentes rumor apud nos ortus est, nostrum exercitum ante Pragam magna ex parte inde recessurum, et obviam iturum Gallis adventantibus, et tentantibus Gallos Pragenses ab obsidione liberare. Litterae Norimberga scriptae 30. Augusti et Mellicium Passavio missae docent, Malleboisium cum suo exercitu proxime Norimbergam venturum, et ob id magnum inter Norimbergenses esse metum, ne in urbe permaneant, et hiberna ibidem faciant. Item populum, per quem transeunt Galli, plurimum conqueri adversus Gallos propterea, quod tum in districtu Norimbergensi, tum in Bavaria Galli, quidquid comestibilium inveniunt omnia auferunt violenter dicentes, omnia ad se pertinere, et quod Bavari mallent nostros Austriacos, quam Gallos habere. Item rumorem esse, quod 6000 Hussari in Palatinatum superiorem irruerint, et Norimbergenses gavisii sint, ob adventum nostrorum Hussarorum, eo quod Gallos aversentur. 20. Septembris. Rates aliquae, plenae militibus Bavaricis, et naves duae, itidem refertae militibus Bavaricis, officialibus, eorumque mulieribus, qui omnes capti sunt a Barone Trenk, cum suis Banduris in civitate Chamb, sita in comitatu ejusdem nominis in Palatinatu superiori, Danubium hic transierunt, et a nostris Hussaris Viennam et ultra perductae. — De capta civitate Chambensi hoc summatim habent nova Viennensia: Baro de Trenk cum Banduris locum Vichtach cepit, et postea munitam civitatem Chamb jussu Comitum de Khevenhiller, quam quidam Comes de Königl curabat, et admonitus, ut dedat civitatem, et conformiter ad capitulationem Lincensem, cujus et ipse pars erat, locum deserat. Cum nihil profecisset cum illo, et incolae, praesertim die Schützen Trenkii copias iaculando vehementius impeterent, Trenkius incensis suburbiis, etiam in civitatem vehementer ejaculatus est, et in una loci domo ex jaculatoris ictu igne correpta, subito flante vento tota urbs in cinerem redacta est, remanente unica Hospitalis ecclesia. Loci Commendans Königl cum Grenadiis in loco mansere, praesidium vero favore fumi fugit ex urbe, et a Trenkio ipsi oblata Bardon omnes se dederunt et promiserunt servitiae reginae se accepturos. Ingens rei frumentariae copia, et bellicae machinae cum multis hominibus incendio miserabili periire, jaculatores vero a nostris occisi. Ingentes praedae, cum homines eo loci bona sua transtulerint, nostris cessere, quarum partem etiam recens advenientes copiae Nadastinae Hungaricae consecutae sunt. Capti universim loci commendans Königl 1 Obristwachtmeister, 3 Hauptleute, 7 Lieutenant, 4 Fähndrich, 1 Proviant Meister, 347 Gemeine von Feldwebl an. Comes Königl podagra laborabat, cum civitas arderet, et caperetur a nobis.

In Bavaria nostri in Septembri molendinam et villam, in qua ingens

copia farinae et frumenti erat, ex qua Straubingenses milites vivebant, quodque molendinum penes urbis Straubingensis muros erat, occupant, et facto utrinque igne, cum in eo 70 milites essent cum iaculatoribus, factum, ut molendinum et villa cum omni re frumentaria ac homines incendio misere perierint. Ab exercitu nostro ante Pragam continuatur 2. Septembris oppugnatio usque ad octavam hujus. Inter cetera relatum, Gallos etiam 14.000 equos mactasse in cibos, quod incredibile videtur. Galli tentant eruptionem sed cum damno suo et amissione multorum caesorum et vulneratorum repelluntur. Major pars exercitus nostri nempe 40.000 ut dicitur, Praga abiit in Palatinatum superiorem et Franconiam, Gallico exercitui in auxilium Gallis obsessis in Praga venturo, obviam itura et cum eodem pugnaturo. Interim sufficiens numerus militum ad continuandam obsidionem hic relictus, cui Praefectus fuit Generalis de Festetiz Hungarus, relictus ante Pragam meri Hungari et Croatiae, numero fere 15.000, ut habent nova Viennensia. Villis et oppidis in circuitu Praegae per duo milliaria sitis a nostris imperatum, ut cum rebus et peccoribus suis eadem deserant, et ad loca assignata se recipiant, hoc utique fine, ne Galli Pragenses inde victualia possint conquirere. Die 20. Septembris ad nos venit quidam nobilis Neapolitanus de Mattha dictus, cui et ego locutus sum, eumque in Bibliothecam duxi, erat e legione Ogilvitana capitaneus, iturus ad nostrum exercitum Bavaricum, ingenti ardore et animo pugnandi, quod etiam de omnibus universim nostris militibus affirmabat. Item e Novis Viennensibus: Bavarorum exercitus forte ad summum 12.000 constans ultra Straubingam abiit, Galli vero apud Pfada versus Straubingam castra locant, noster vero Comes de Khevenhiller sua ponit in altera ripa apud Monasterium Oberaltach hostem cominus sequens, et volens impedire ejus cum Gallis in Franconiam adventantibus conjunctionem, sed non potuit ob virium imparitatem.

E novis Gallicis: Exercitus noster in Italia Regem Sardiniae cum suo a prosecutione hostili Hispanorum et Neapolitanorum fugientium versus regnum Neapolitanum et statum Praesidii redeunte per papales terras ad pedem consequitur. Hunc Regem in itinere suo et bello contra Hispanos et Neapolitanos secuti constanter fuere legati nostrae Reginae, Angliae et Saxoniae. Exercitus Neapolitanus jussus est a Rege suo redire in Neapolitanum regnum. Utinam non redeant cum Hispanis, postquam Rex Sardiniae cum nostris in pace recessit. E Summario litterarum Praegae scriptarum 1. Septembris: Dicitur quod Galli suis frequentibus et fortibus eruptionibus nostros Austriacos coegerint ad ineundam cum ipsis capitulationem, quam Comes noster de Koenigsek Mareschallo Bellisle obtulit hac conditione, ut Galli totam Bohemiam evacuent, ob quod cum Bellisle ab eo peteret, ut sibi liceret cursorem publicum ad Regem Galliae ea de re consultandum mittere, ea petitio a nostro Magno Hetruriae Duce denegata fuit. Addunt litterae, Gallos ob eam repulsam fuisse laetatos, atque significasse, se adhuc posse tempus dare adventui Succursus sperati, scilicet exercitus Gallici a Maillebois adducendi, et sibi gloriosius esse,

quod obsidionis Pragensis solutionem debeant suae generositati et constantiae ac succursui expectato, et quod facient poenitere nos Austriacos, qui volentes eos omnes perire, rejecerunt omnes propositas condiciones. Item quod in nullo defectum patiantur Galli, quam in pabulo pro alendis equis, quo totaliter carent. Carolus VII. Comitem de Bunau, quem antea Hamburgum misit, etiam ad Regem Daniae ablegat, ex causa nobis ignota.

Neapoli scriptum 21. Augusti: Angli cum sex navibus maritimis aliisque haud procul a portu Neapolitano appulerunt, et a Rege interrogati causam adventus sui responderunt, se ut auxiliores Reginae Hungariae adventasse et petere ab eo, ut declaret intra tres horas, an velit se neutralem erga ipsam habere, et revocare suum exercitum, an non? Ad quod Rex illico subscripsit petitae neutralitati, jussit redire suum exercitum ex Lombardia, quo accepto responso etiam Angli in pace reversi sunt. Vienna scriptum, quod culpa, cur Galli in suis eruptionibus e Praga bonos habuere successus, imputata fuerit quibusdam e nostris Generalibus, qui non satis invigilavere, et quod propterea quidam eorum arrestati esse debuerint. Ad confortandum nostrum exercitum in Bavaria jussi sunt ex Triest 11.000 nostrorum militum in Bavariam ire. Parisiis scriptum, Mareschallum Broglio Regi Galliae scripsisse de statu sui exercitus, et Regem super hoc valde contentum fuisse. Galli dicunt eum 23. Augusti cum 8000 erupisse e Praga, et nostros ex uno posto ejecisse, insuper nostrorum 600 occidisse, et 200 captivasse, et quinque vel 6 tormenta clavis obstruxisse, et postea lente se in urbem reduxisse. Denique Gallos non antea pacem inituros, quam satisfactum fuerit Duci Bavariae. Haga Comitum scriptum 4. Septembris, Felonem scriptum porrexisse Hollandis, quo nomine Regis Galliae offert is portum Dunkirchen, ut eum suis militibus durante bello obtineant, id factum, ut eluderet Comitum de Stairs Anglicani Legati apud Hollandos conatum, quod Hollandis redderet suspectum et inimicum Regem Galliae. Feloni ad haec respondiisse dicuntur Hollandi, quod si antecederet hunc portum restitueret iuxta Tractatum Utrechtensem, tunc id multum faciet ad pacem ineundam. Hinc apparet, Hollandos non acceptasse traditionem hujus portus in manus suas. Francofurto scriptum, Carolum VII. denuo per decretum exhortari Electores, Principes, et Circulos Imperii, ut opponant se conjunctis viribus Hungaris, qui irrupuerunt in Palatinatum superiorem et Franconiam, qui velut latrones et praedones agunt, et violarunt neutralitatem initam inter Reginam nostram et circulos Franconiae et Sueviae. Itaque omnes excitat, ut contra Hungaros et nostram Reginam efficaciter et prompte agant. Sic Dux Bavariae fuit contra nos Austriacos, et nos arguit violatae neutralitatis, cum tamen ipse praecipue Gallos hostes nostros per Franconiam hoc anno et praeterito per Sueviam in Imperium induxerit; imputat ergo nobis, quod ipse mali commisit.

(Continuatur.)